

Ludwig Gotthard Kosegarten


Manibus Andreae Bratt pie parentavit Ludwig Theob. Kosegarten

Gryphiae: Eckhardt, [ca. 1811]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74634595X>


Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

Pl. 241. (1.)



M a n i b u s
A n d r e a e B r a

pie parentavit
Ludov. Theob. Kosegart

Plato de Legibus, Lib. VII.

Των πολιτων, ὅποσοι τέλος ἔχοιεν τε βίη, κατα σ
και κατα ψυχας ἔργα ἐξείργασμενοι καλα και ἐ
και τοις νομοις ἐυπειθεις γεγονοτες, ἐγκωμιων
τυγχανειν, πρεπον ἀν εἴη.

M a n n s

A m b r o s i u s

h a m m e r

h a m m e r

L a r d o v . T h e o p . i k o s e g a r t e n .

Plato de Legibus, Lib. VII.

Das weisheit, durch diese Art zu sein, unter anderen
und keine Gefahr für die Gesundheit haben und können,
und die Natur dieser Krankheit, die durch diese
Ursachen entsteht, ist die folgende:

einmal

nen übergeben

G e r t h e i m e

Erst J. H. Schmidt, bei A. H. Meyer

M a n i b u s

26

A n d r e a e B r a t t

pie parentavit

Ludov. Theob. Kosegarten.

Plato de Legibus, Lib. VII.

Των πολιτων, ὅποιοι τέλος ἔχοιεν τε βίη, κατα σωματα
και κατα ψυχας ἔργα ἐξείργασμενοι καλα και ἐπιπονα,
και τοις νομοις εὐπείθεισ γεγονοτες, ἐγκωμιων αὐτοιο
τυγχανειν, πρεπον ἀν εἶη.

G r y p h i a e,

litteris J. H. Eckhardt, Reg. Acad. Typogr.

*Donum Dni. Acad. amici Car. Hoffm.
hunc libellum possidet
Rostock d. 5. Decbr. 1817.*

M a m i d n s

A n d r e a s B r a t t

1 7 6 5

Indov. Theob. Kosegarten.

Tabl. VII.

Das Buch, welches hier zu sehen ist, wurde von dem
Herrn von Kosegarten, dem Verfasser der
ersten Ausgabe, in dem Jahr 1765, in
dem Druck zu Rostock, bey dem
Herrn Buchhändler, Herrn
Johann Friedrich
Häsel, verlegt.

G r a t i s

Verlegt bey dem Buchhändler, Herrn
Johann Friedrich Häsel, in
Rostock.

Extulimus proh dolor! extulimus abhinc triduum, atque terrae mandavimus Andreae Brattii nostri tristes exuvias. Iacturam fecimus viri boni, civis probi, Collegae conjunctissimi, doctoris sollertis atque eruditi; talis denique, qui multis flebilis occidat, omnibus certe existimandus suspiciendusque. Recens igitur vulnus, idemque atrocissimum huic nostrae Almae Matri, tot funestissimis funeribus jam orbatae, tot ad exteros praestantissimorum virorum discensibus exhaustae jam et prope devastatae, inflictum fuit; dum nunc et illum e numero Suorum amisit, qui per decem annos rerum naturalium abditas causas, Artisque Euclideae intelligentiam studiosae juventuti maxima cum laude tradiderat. Amisit Academiae Senatus consessorem, qui consilio pollebat, prudentia in rebus arduis atque ancipitibus vigeat, eundemque imperterriti semper animi vereque leonini. Amisit Ordo, quem vocant, Philosophorum, membrum diligens, vigilans, jurium suorum tenacissimum. Amisere Musarum nostrarum alumni doctorem

atque ducem, in altioribus illis, quas tradendas susceperat, disciplinis vix uni et alteri secundum. Amisit illustris, quae litteris apud nos operam navat, Svecana Natio popularem, fautorem, patronumque, inter Patres Academiae conscriptos jam unicum eheu! atque postremum.

Talis viri tumulum derelinquere siccis oculis, a cippo, quem illi ereximus, sepulcrali secedere clausis labiis, obmutescenteve lingua, mihi quidem piaculum visum est, ac religio. Colenda, certe colenda est atque servanda memoria illorum, qui de republica bene meruere. Nec mortuis suis honos est denegandus. Nec defuncti suis laudibus sunt defraudandi. Est, ut cum Menelao illo Homérico loquar, est unicum, quod aerumnosos mortales manet, munus atque decus, ut tonsis comis, effusisque lacrimis cineres illorum veneremur.

*Τὸτο νυ καὶ γέρας ὄιον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι,
Κείρασθαι τε κομὴν, βαλεῖν τ' ἀπο δακρυ παρειῶν.*

Quod cum ego nocte illa, quae exequias Nostri praecessit, quaeque cum tot aliis insomnem me atque meditandum praeterlapsa est, diligenter perpenderem; maxime mihi doluit de vice tot tantorumque virorum, qui, postquam multis vigiliis non tam sibi, quam aliis, prospexerunt, eorum ipsorum, quibus in vivis singularis industriae exempla fuerunt, incuria vel ignavia, prorsus

fere interciderent. Exempli mihi interesse visum est, ne memoria illorum, quos ingenii et eruditionis solidioris commendatio studiumque in formanda fingendaque juventute supra vulgus extulerunt, eidem illaetabili nocti, qua premuntur, qui in tenebris et silentio ignobile sunt praetervecti aevum, nihil, quorum erat, reluctantibus, obruenda permittatur. Quod quo minus et Defuncto nostro eveniat, quantum fieri potest, prohibere, muneris, cujus vices ad me devenere, esse credidi. Partibus, quas haecce provincia mihi imponit, ut aliis, sic et hisce, strenue perfungi decrevi. Iusta, pro ingenii, quod admodum exiguum in me agnosco, modulo, Viro solvere constitui, omnibus quidem Universitatis nostrae Ordinibus erepto, imprimis tamen ei, cui et ego adscribor. Manibus ejus operari statui absque ulla mora, quamdiu desiderium defuncti adhuc flagret, dum cineres humati nondum refriguerint, dum imago ipsius comis atque blanda oculis nostris adhuc observetur. Nec animi commotio diutius quiescere mihi permisit. Surgere concubia adhuc nocte, lumina admovere, calamum arripere, calescente pectore fugienteque stilo quaevis in mentem ruere, absque ulla verborum, phrasium, numerorum ambitiosiori artificio in chartas projicere; eo quidem consilio, ut ea ipsa die, exequiis peractis, humatis reliquiis, in loco sacro, ad caput sandapilae, lapidibus illis frigidis, qui sepulti adhuc tepentes cineres obtegebant, insistens, Umbram ejus solutis solvendis de-

mulcerem atque placarem. Quod quidem consilium, ratione habita loci, temporis, rerum, mihi abjiciendum fuit. Mox vero, annuente Magnifico Academiae Rectore, Senatusque Patribus Conscriptis, in hancce diem atque horam, ad hanc cathedram pullatam atque atratam Vos, Auditores, omni, qua par est, observantia, invitandos curavi; jamjam Manibus Defuncti Nostri litaturus; oleo quidem atque lacte, nec thure, nec myrrha, nec aliorum aromatum sumtiosiori dispendio; sed quam maxime fieri poterit parce, pure, caste atque pie. Siquidem, quidvis sanctum ac sacrum sancte etiam ac sacre peragendum erit. Quid vero sanctius, Defunctorum memoria? Quae quidem mihi condecoranda videtur, nec verborum ac phrasium fastuosa pompa, nec colorum floridis pigmentis, nec sententiarum studiosius quaesitarum argutiis, sed quantum fieri poterit, ἀπλοτατως; ita nempe, ut vita, fata atque indoles Beati quam brevissimis lineis circumscribantur; ut merita, si quae fuerint, justis, minimeque exaggeratis laudibus depraedicentur; ut tandem, si per temporis rationem licebit, super graviori quodam argumento gravius, ut talem locum talemque occasionem decet, edisseratur.

Quae quidem jamjam conaturus, partibusque mihi sumtis pro virili functurus, vestram facilitatem obtestor Auditores, vestramque benevolentiam. Aequas mihi benignasque praebeatis aures. Lapsibus, qui vel cogitanti vel dicenti obrepse-

rint, veniam detis. Pietati condonetis, quae forsitan aliis nominibus, festinationis, incuriae, doloris, animi commotionis minus condonanda forent.

Fuit Noster, dum inter vivos degebat, Spartanque in hacce Academia sibi creditam strenue obibat, ordini, cui etiam me adscriptum esse gloriator, et quem Philosophorum vocant, adscriptus; ordini, loco quidem postremo, si vero vim vocabuli spectes, ditionis nobis demandatae, qui late patent, fines, disciplinarum, quas tradimus, ubertatem atque dignitatem, facile primo. Sed quae vobis, Auditores, videtur fuisse antiquissima eademque justissima illius, quam profiteamur, quam insectamur, cui inhiamus omnis, quibus e meliori luto praecordia Titan finxit, Philosophiae interpretatio? Nonne illa, quae debetur summo illi Viro, qui, dum noluit Sapiens, dum maluit Sapientiae Amator denominari, primus effecit, ut omnis hicce, qui nostri juris est, eruditionis orbis Philosophiae titulo insigniretur? Siquidem summus ille Pythagoras, Sapientia Orientalium Sophorum primaeva atque caelitus delibata probe imbutus, apud Graecos primum disertius docuit: animas esse immortales; animas corporibus astringi, ut culpam anteriorem expient; *μαθησεις* nostras esse *αναμνησεις*; Philosophiam esse artem quandam, animam repurgandi et emaculandi; Philosophiae Caput atque Summam esse *μελετην*

Θανάτῳ, continuam quandam atque cum exēritatione con-
 junctam *Meditationem Mortis*. Tanti viri vestigia premere nec
 Socratem piguit, quippe qui in nocte illa fatali, qua viro inte-
 gerrimo scelerisque puro poculum lethiferum hauriendum
 erat, amicos, optimi viri indigno fato nimium depressos,
 fortiter erexit, monens illos atque edocens, nihil esse in
 morte oppetenda, quod Sapientem terreat, qui tota vita
 id unicum egerit, ut mortem meditetur, mortem commen-
 tetur, mortem quodammodo anticipet, dum vincula, qui-
 bus animus corpori adstrictus sit, indies laxiora ac solu-
 tiora reddere, quam studiosissime laboret. Quid? quod
 discipulorum tanti viri praestantissimus, divinus Plato
 ipse, teste scripto quodam ἀδέσποτω, cujus editionem Joa-
 chimo Camerario acceptam referimus, Philosophiam de-
 finiturus dixerit, quod sit μελετη θανάτου, τετε προαιρετικῆς,
 τετε φυσικῆς. Nil mirum itaque, si et Marc. Tullius Cicero,
 quippe qui in verba Platonis juraverat adeo, ut malle sese
 cum Platone errare, quam cum aliis recte sentire, scribat,
 in Tusculanarum Primo monet, totam Philosophorum vi-
 tam unam esse meditationem mortis.

Nec minori studio gravem hanc atque sanctissimam
 doctrinam sibi vindicavit sublimis illa ἀίρεσις, cui Stoa
 nomen dedit. Stoicis sane nihil antiquius fuit, nihil solen-
 nius, quam spernere mortalia, affectare immortalia, sitire
 nunquam peritura, prae se ferre contemptum divitiarum,

gloriae, egestatis, exilii, dolorum, fidicularum, tormentorum, mortis ipsius. Summum Bonum, quod Epicuro in tranquillitate animi positum visum est; Cynicis in libertate; Academicis in perfectione; Peripateticis in investigatione Veri; Stoicis unica erat Virtus, Virtus inquam, quae numquam sanctiorem nec augustiorem se comprobet, quam cum interitura spernat prae numquam perituris; terrestria commutet cum caelestibus; vitam projiciat, mortem amplectatur. Talem edoctus doctrinam Seneca in pulcherrimo, quem de vitae brevitate concipit, libro, dixit: „Vivere tota vita discendum est, et quod magis fortasso miraberis, tota vita discendum est mori.“ Et ad Lucilium, quem adeo praeclaris exornat praeceptis: „Egregia res est, mortem ediscere, meditari mortem; qui hoc dicit, meditari libertatem jubet.“ Nec alias sentit, quem abjectissima vitae statio minime depressit, Epictetus. Nec secus, quem dominium, quod exercuit, orbis terrarum, justo altius nusquam evexit, Marcus Aurelius. Nec omnis illa seriorum saeculorum *ἀρετής*, quam Neoplatonicorum titulo insignimus, nil morati, quod, Platonis genuinae doctrinae corruptores, ipsius placita cum Zenonis, utriusque cum Peripateticorum placitis conglutinent atque confundant.

Verum enimvero, qualis, Auditores desideratissimi, ista, quam Scholarum placita celebrant, vobis esse videtur, Mortis meditatio? Num nuda quaedam contempla-

tio? Verbosa quaedam commentatio? Iners quaedam et plane infructuosa intuitio? Eane forsā, qua obruti et submersi, torpebant et torrebant quondam in sabulis Nitricis et Thebaicorum desertorum vastitatibus, pallidi, squallidi, luridi, pilis setisque horridi, monasticae vitae institutores? Talisne forsā, qualem prae se ferunt discipuli tristissimi istius Brunonis, Carthusianorum familiae adscripti, qui, vive sepulti, ad perennem taciturnitatem damnati, ab omni societatis solatiis seclusi, grinnienti mortuorum cranio, ut amatores amicarum rubicundis oribus, adblandiuntur; dum vero aliquando ipsis contigit, e cellarum cryptis prorepere, animique causa intra porticum suorum fornicatorum, pallida luce subobscuro, spississimos parietes obambulare; cum tardo silentique incessu, lemorum instar sive spectrorum, alter alterum praeterlabuntur, nil sibi invicem admurmurare ausint, praeter sinistram istam atque illaetabilem quasi corvorum crocitatiorum: Memento mori! Num ea vobis videtur fuisse ista mortis meditatio, quam nobis praedicant Academia, Stoa, Lyceum atque Cynosarges? Aberrastis, Auditores, toto caelo. Altioris indaginis, nobilioris ingenii, generosioris indolis illa est mortis meditatio, quam nostra Philosophia profitetur. Nec iners est, nec otiosa, nec infructuosa. Sollertissima est pertractatio. Indefessa est exercitatio. Lucta demum est perpetua; lucta Herculis cum Hydra; duellum Archangeli cum dracone. Haecce nostra meditatio, ut uno

verbo dicam, est *μελετη*. Quid vero *μελετη* sibi velit, ne-
 minem fugit. Scilicet *μελετη* minime nuda est contem-
 platio, minime iners quaedam atque jejuna verborum
 contentio. Est potius pertractatio diligentissima, exerci-
 tatio virium sollertissima, laborum vel molestissimorum
 concatenata series, quorum vi mortales cujuscumque artis,
 sive liberalis sit, sive illiberalis, compotes fieri nituntur,
 quibus adjuti aliquam promptitudinem sive facilitatem,
 sive habitum sibi comparare laborant; eo consilio, ut,
 quae difficillima fuerint facillima evadant, quae adversa,
 grata ac jucunda, quae natura ipsa abhorrebat, assuefa-
 ctione quadam in ipsam naturam transeant. Dantur igitur
 tot *μελεται*, quot dentur artes, doctrinae, disciplinae, vitae
 rationes, corporis et animi promptitudines. Habemus
μελετην gymnasticam; habemus venaticam; habemus belli-
 cam, castrensem, forensem. Habemus *μελετας*, vel sex-
 centas. Aptissime itaque Apulejus meditatorum mortis
 reddit mortis affectationem consuetudinemque moriendi.
 Tulliusque, et dicendi et sapiendi facultate aequè pollens,
 commentationem illam, qua totam vitam Philosophi absolvi
 monuerat, interpretaturus, discendo atque consvescendo
 illam arripi docet. Sed qui Auditores? Num et mortis fatum inelucta-
 bile inter illas artes referri possit, quarum nobis peritiam
 ediscendo et exercitando comparare solemus? Animae ista

efflatio vel effusio, non tam voluntaria quam fatalis, num et illa pertractari, edisci, exercitari, exercitiisque quotidianis affvefieri quadantenus possit? Actio, vel rectius perpressio, semel tantum obeunda, quae, dum Nos sumus, nondum ipsa est, et dum ista est, nosmet ipsi esse desierimus? Ne talis atque similes argutiae Vos impediunt, Auditores, nec perturbent! Scilicet duplex ex doctrina Philosophiae datur mortis genus; alterum physicae sive naturalis, alterum ethicae sive voluntariae. Haec autem et illa solutio est cujusdam vinculi, quo animus immortalis corpori astringitur caduco atque perituro. Sed et haec vincula duplicia sunt; alia quidem physica sive naturalia, illa videlicet, quibus animus corpori spirandi et sentiendi facultatem communicat; alia moralia et voluntaria, dum animus, dignitatis divinitatisque suae immemor, corpori sponte se subjicit, ejusque foedis cupiditatibus mancipat se et ancillatur. Quid plura? Prius vinculorum genus solvitur morte physica; posterius laxatur morte ethica, philosophica, voluntaria. En mortem istam, quam generosa illa doctrina nobis oppetendam esse monet; quam meditari, commentari, exercere, assvefacere jubent et Stoa et Academia et Lyceum et Cynosarges. Non *ἀυτοχειρίαν* nos docent, sed *ἀυτονομίαν*. Laxare jubent vel vi effringere vincula illa voluntaria, turpia, probrosa voluptatum atque cupiditatum, quarum quavis, ceu veru quodam vel clavo transfixus, animus caelitus delibatus in corporis brutam

materiem arctius adhuc ac penitius infigatur. Extuere nos jubet vera Philosophia pravas consuetudines, avocare animum a voluptatibus, refrænare sensuum indomitos affectus, emancipare potiorem nostri partem ex infelici ignominisosoque servitio gulæ, ventris, cuticulæ, quaestus foedi, gloriolæ vanæ atque inanis; tum demum laxatis vinculis, desidente materiae taediosa mole, animum nativo suo ac spontaneo impetu ad altiora emersurum, ad sidereas regiones evolaturum, auras caelestes haustum, cum Divinitate ipsa, quippe quæ nec sensibus nec conceptibus, sed sola puræ mentis apperceptione attingenda esset, interius et secretius consortium initurum esse. Quod ut plenius declaret, antiqua ista ac vera Philosophia animum, e caelesti patria in has terrenas sordes detrusam, homini comparat peregrinato, cui, si redire in patriam et agnosci a suis velit, non tantum ineptiæ exterarum consuetudinum abjiciendæ sint, sed etiam reminiscenda ea, quibus in patria olim studuerit. En mortis meditationem veram atque genuinam! En doctrinam plane nobilem ac generosam, quam a Doctorum Vetustissimis, ab Orpheo, Hermete, Zoroastre traditione quadem legitima accepere Pythagoras et Plato et Zeno. A quibus et summus ille Stagyrita, quem Enthusiasmi, sive Fanatismi, sive Mysticismi, in hisce nostris diebus adeo πολυθρύλλητα, accusare nemo certe ausit, minime abhorret aut dissentit. Siquidem Aristoteles, postquam in aurei, quod ad Nicomachum

inscripsit, Syntagmatis libris VI prioribus virtutes, quas vocat morales, penitus pertractavit, ad intellectuales jam progreditur, ceu altiores, grandiores, sublimiores, quibus sollertissime per IV ultimos libros explicatis, universam morum disciplinam concludit, iterum atque iterum monendo, summam hominis felicitatem in contemplatione casta atque mentis puritate sitam esse, qua parte Deum attingere maxime nobis liceat.

Quem vero, obtestor vestram fidem, Auditores, quem fugiat, gravissimam istam doctrinam eandem esse, quam et sanctissima nostra fides spirat, celebrat, inculcat! Quid aliud sacra pagina monet, quam ejurare nosmet ipsos, crucifigere carnem, abnegare mundum, sursum tendere, coelestia spirare, in coelis, dum adhuc terram calcamus, versari! Quid sibi velit Christus ipse, dum formula sibi solenni confirmat: Amen, dico vobis, qui vitam diligit, vitae jacturam faciet, qui projicit animam, animam servabit! Quid Paulus, dum identidem nos monet, exuere priscum hominem, induere recentem, relinquere, quae a tergo sint, ad anteriora tendere, quae infra sint, spernere, quae supra, unice amplecti! Quid dulcissimus Iohannes, dum senes, adultos, adolescentes obtestatur et adjurat: Nolite, carissimi, nolite mundum deligere, nec, quae in mundo sint; nec oculorum illecebras, nec carnis titillamenta, nec superbiam Deo invisam. Siquidem periturus est mundus, peritura

mundi gloria et voluptas. Qui vero Patris voluntati se permittit, manebit in aeternum! Quam egregiam doctrinam pulcerrime excoluerunt sequiorum saeculorum Patres: Clemens Alexandrinus in Stromatibus, Origenes in Commentariis asceticis, Macarius in Homiliis, Basilius in tractatu eximio, quo Iuvenes edocet, quomodo e Graecorum litteris proficiendum sit, Ambrosius in Oratione, qua de mortis bonis disputat, Cassiodorus in Dialectica, Isidorus Hispalensis in Originibus, Vincentius Bellovacensis in speculo doctrinali, Iohannes Tzetzes tandem in Chiliadibus. Sed haud mihi temperare possim, quo minus ex postremo loco laudati, cum tot aequae commendandis nimium neglecti Auctoris opere limatissimo quosdam quaternarios, veram istam Philosophiam, Musam nostram atque Chariten, mirifice exprimentes, Vobiscum Auditores commuicem. Ita autem Tzetzes in Chiliadum X.

Φιλοσοφία μὲν ψευδής, ἢ λογίσι συγκομμένη.
 Οὕτως φιλοσοφία δὲ τῶν μοναζῶν τῶν οὐτως,
 Ἄντη θανάτου μάθησις, καὶ νεκρωσις σαρκίου,
 Καὶ γνῶσις τε τῶν ἀληθῶς καὶ οὐτως οὐτως οὐτῶν,
 Καὶ τοῦ Θεοῦ ὁμοιωσις, ὡς δυνατόν ἀνθρώποις,
 Καὶ τῆς σοφίας καὶ Θεοῦ καθέστηκε φίλια,
 Τεχνῶν τεχνῶν καὶ ἐπιστῆμη τῶν ἐπιστῆμων τε
 Καὶ τε μέγιστη μουσικὴ, ἰατρικὴ ψυχῶν τε.

Hanc veram atque unicam Philosophiam, mentis
 Musicen, Gymnasticen atque Medelam ille Noster, cujus
 manibus hasce inferias mactamus, jam probe edoctus est.
 Non illi opus est amplius, eam meditari, commentari,
 addiscendo et exercendo molesta vincula animi relaxare.
 Effracta jam sunt illa claustra, perrupta vincula, exiit,
 evasit, excessit, erupit, e tenebris in lucem, e carcere in
 libertatem, e pulvere et sordibus, ad superas, quas Coe-
 licolae hauriunt, auras. Iam sibi gratulatur de celeriori,
 quam ipse sibi auguratus esset, vita, id est mi-
 seriarum exitu, qui quidem nobis immaturus et luctuosus
 evenit, ipsi autem jam exoptandus videtur atque maxime
 salutaris. Nec pauciores, quos vixit annos (vixit autem
 XLII) absque fructu ipsi periere; id quod brevissima vitae
 et laborum ejus adumbratio docebit. Auram Noster hau-
 sit vitalem in Åsaka, quae villa est paroecialis provinciae
 Regni Svecani, quam vocant, Vestrogothiae. Patre usus
 est Andrea Bratt, Pastore et Praeposito, doctrina ac pie-
 tate pariter claro; matre, lectissima foemina, ex Hesse-
 liorum honestissima prosapia prognata. Noster, quum a
 teneris felicioris ingenii igniculi in illo emicuerint, ma-
 ture litterarum studiis dicatus, primum a patre, mox a
 domesticis praeceptoribus probe eruditus, in illustre, quod
 Skarae floret, Gymnasium migravit, ubi per integrum annum
 et in lingvarum et in litterarum, quas vocant, humanio-
 rum studium, strenue incubuit. Mox Almae Upsalien-

sis limina salutavit, in qua Musarum antiquissima et augustissima sede floridiores vitae laudabiliter peractae annos exegit. Scholas Theologicas frequentavit Winbomii, Philosophicas Aurivillii, Philologicas Floderi, Virorum, nominibus suis, quorum bina jam in albo Aeternitatis lucent, satis laudatorum. Maxime tamen Nostro arrisere Musarum severiores, austeriores, morosiores, illae puta, quae nunc numerorum, linearum, sectionum, quantitatum omnigenarum proprietates exponunt; nunc universitatis rerum abditas causas vires et virtutes pervestigant, nunc radio et circino ornatae modo coeli modo terrae spatia dimittuntur, sidera notant, orbium coelestium circuitus describunt, motuum, rotationum, declinationum eorum aeternas leges explorant. Quarum admirabilium disciplinarum dignitate et nobilitate Noster, fato quodam suo, prae aliis allectum se sensit atque irretitum. Nec injuria. Si quidem tanta in illis est Majestas, ut Deorum filios et cognatos, Cepheum, Atlantem, Herculem ipsum istis praecipue studiis invigilasse, apud Antiquos creditum sit; ut Plato quemvis *αγεομετρητον* a sanctuarii sui limitibus arcuerit; ut Plinius Mathematicum auctores ingentes viros atque supra mortaliū naturam eVectos eo verius appellet, quo remotiores hae artes a lucro quaestuque sint, et ab omni vilitate terrae longius recedant. Nil mirum igitur, si Noster, natura favente, experientissimo Landerbeckio duce, in tam gra-

C

vibus abstrusisque eruditionis provinciis processerit ut celerime ita et felicissime; cuius rei periculum fecit, in lucem edito eruditissimo specimine, quo sibimet ipsi, vigesimum vix annum agens, Lauream Philosophicam meruerit. Nec mora. Iam ipse ludum Mathematicum aperuit, in quo, non contemnenda eruditorum corona cinctus, per complures annos docens et docendo discens versabatur. Trigesimum secundum annum agebat, cum, Beato Brismanno fato immaturo atque acerbo nobis erepto, in locum Defuncti suffectus, Mathematicum et Physices, pulcherrimarum disciplinarum, Professionem Publicam Ordinariam suscepit. Quam splendidam lateque patentem provinciam, quo studio, qua doctrina, quibus ingenii dotibus exornarit, non est, quum neminem nostrum lateat, quod multis verbis praedicem. Iuventutem studiosam in illis, quas tradendas sibi susceperat, disciplinis probe erudit. Qui in reconditiores illarum recessus penetrare voluerint, iis ducem se praebuit fidum, comitem que indefessum. Qui in publicis certaminibus obeundis opem ejus implorare, illis strenuum defensorem se praestitit atque moderatorem placidissimum. Nec ipse laureis partis indormire; semper in altius eniti; rerum universitatis Adyta in dies penitus rimari; legendo, scribendo, meditando, ut ditionis suae fines in dies proferat, strenue semper laborare. Cujus rei documenta sunt tot eruditissimae Dissertationes, quas in graviora et Physices et Mathematices et Astronomiae argu-

menta summa diligentia elaboravit. Licet Veterum admira-
 tor magis, quam Recentiorum, illorum praesertim, quos
 aetas hodierna, ceu Numina quaedam adorat, nihilo tamen
 secius semper se patentem praebuit et facilem omni Vero,
 Pulcro, Bono. Nec morum elegantia Nostro defuit; nec
 oris comitas, nec consuetudinis blanda quaedam ac jucunda
 suavitas. Res familiaris non magis sui ipsius erat, quam
 popularium et amicorum. Pius in Deum, in Regem, in
 Patriam, in Rempublicam, cujus stipendia merebat. Bis
 decemviratu, quem vocant, philosophico; Magisterio Aca-
 demico functus est semel. Quam utramque provinciam ita
 gessit, ut rebus fecerit testatum, omnium rerum curam
 sibi antiquissimam esse dignitatem ordinis, incrementum
 Academiae. Sed et depositis magistratibus, de Republica,
 quorum civibus adscriptus fuit, optime merere, semper
 ipsi religio fuit. Cujus indolis praeclarum nobis documen-
 tum dedit, cum aliquot ab hinc menses, jam pace sancita,
 candidioribusque, ut sperabamus, solibus illucescentibus,
 homines sordidi, lucri avidi, praediis Academiae, quae
 sanctissimis titulis possidet, inhiantes, viris patriae prin-
 cipibus, de exhausto aerario anxii, persuadere satage-
 bant, ut Scholae nostrae clauderentur, doctores rude dona-
 rentur, redditus Universitatis fisco adjudicarentur. Cui
 sielestissimo conamini Noster fortiter se opposuit, nefarios
 istos sacrilegos acerbissime increpuit, de latrocinii talis
 incongruentia, imprudentia, injustitia et impietate adeo

clare, copiose, libere, adeo victricibus rationibus disseruit, ut ne hiscere quidem contra ausi sint tenebriones isti. Postremus, quem Noster exantlavit, labor, dissertatio fuisse videtur sat copiosa et luculenta, quam de morte Servatoris expiatoria elaboravit, eo consilio, ut sibi reditum in patriam pararet, viamque ad munus Ecclesiasticum ibi locorum ipsi demandandum sibi muniret. Non omnino enim hoc coelum, haec terra, nostraeque vitae ratio valetudini Defuncti convenire videbatur. Annus vertitur jam secundus, ex quo et corpore et animo aegrius se habere coepit. Angebat Bonum infelicitas temporum. Excruciabat eum anceps Reipublicae nostrae status, et civilis et litterariae. Patrii soli flagrabat ardentissimo desiderio. Iam et febribus laborare coepit diris, atque malignis, quae, ne miseriarum nostrarum cumulo aliquid deesset, per tres quatuorve annos, Germaniam nostram Septentrionalem, longe lateque grassantes, immane quantum vexant. Nusquam ex istis febribus Noster prorsus convaluit. Tacita quaedam ac coeca pestis vitalem succum ipsi depascebatur. Oppressit tandem *δυσπνοια* quaedam, malum molestissimum, quod teste Seneca, qui ipsi quasi assignatum esse queritur, Medici istius aevi meditationem mortis vocare solebant, Pythagoricam istam verae Philosophiae definitionem transferentes in paroxysmum atrocissimum, qui perpetuo quasi animum agendi nisui comparandus erat. Certe jam animam agebat Noster; sed agere minime putabat. Iam conclamatus erat;

nec, res suas in ancipiti esse, suspicabatur. Omnem spem convalescendi ponebat in patrio coelo, in patriis auris, in patrio solo, quod resalutare, quam primum vernaret, mareque glacie solutum foret, firmissime constituerat. Sed secus pro dolor! secus visum est Illi, qui de vita et de morte hominum decernit. Donavit eum patria, utique! ea quidem, quam cum omnibus bonis communem habemus. Exemit e Scholis nostris, sed ut transferret in coelestem illam Academiam, ubi jam reseratis palpebris in reconditiores naturae rerum recessus penitus introspiciat, nostris puerilibus commentis suaviter subridens; re ipsa jam edoctus, quam vana et inanis haec nostra, qua plerique turgemus ac tumemus, sit eruditionis atque scientiae gloriola.

Abiit igitur Andreas Brattius, non periit. Obiit, non interiit. Qui interiret? Superest, et in aeternum supererit pars major ejus atque potior in beatis istis sedibus, ubi

Decurrunt albusque dies, horaeque serенаe; ubi, ut cum Sacro Vate loquar, nec esurimus, nec siti-mus; ubi nec aestus vexat, nec adurit ullum frigus; ubi nec angor, nec clamor, nec cruciatus; ubi a madentibus genis detergentur quaevis lacrimae. Iam videt (Versibus utor Aonii Palearii, immortalitatis animorum vatis quon-dam praestantissimi, quem ab immerita, quae illum pre-mit, oblivionis nocte vindicandum, propediem et quidem ex hacce cathedra, curabo).

Jam jam novum terris videt lucescere solem
 Largius et liquido vestire lumine mundum,
 Ac rerum varias confestim sumere formas,
 Gramen habent passim, et flores jam mollia prata,
 Jam nemora alta nigras altis surgentibus umbras
 Arboribus, foliisque sonant et fronde virenti
 Prognatae lenes Zephyris florentibus aurae.
 Iam rosa, jam violae, jam purpurei narcissi
 Perbelle rident gemmantes rore per herbas.
 Non adeo mixtum magnis Aquilonibus imbrem;
 Non austrum metuent nati sine semine flores,
 Non glacialis hiems, non intolerabilis aestas
 Aurea surgentis vertent bona tempora secli.
 Ver erit aeternum, atque eadem clementia coeli
 Semper erit.

Sed nec in hisce terrenis plagis prorsus esse desiit
 Noster. Superest in rebus, quas gessit bene; in pagellis,
 quas scripsit erudite; in animis juvenum, quos effinxit et
 formavit pulcre. Superest in grata discipulorum recor-
 datione. Superest, et diu adhuc supererit in memoria ac
 desiderio Bonorum.

Agite dum, Auditores Exoptatissimi! Abstineamus a
 funeralibus naeniis, et a lessu lugubri nobis temperemus.
 Gratulemur defuncto de jam parta victoria, et de feliciter
 laxatis animi immortalis molestissimis vinculis bene illi
 precemur. Memoriam viri grata mente recolamus. Lau-
 des atque merita pio ore celebremus. Cippum ejus sepul-


caelem sertis, exornemus atque triumphalibus coronis.
 Caeterum et nos veram istam Philosophiam, quae mortis
 meditatione absolvitur, ediscamus. Mortem meditemur;
 sed ita, ut eo laetius, celerius, paratius partibus in hac
 aerumnosa palaestra nobis demandatis fungamur. Mortem
 meditemur, exerceamusque, sed ethicam, philosophicam,
 voluntariam. Vincula relaxanda curemus illa spontanea
 maximeque ignominiosa, quibus animus divinus, coelitus
 delibatus, brutae corporis materiei arctius penitusque
 innectitur. Pravas exuamus cupiditates. Voluptatum illece-
 bras pessumdemus. E servitio sensuum turpissimo potio-
 rem nostri partem emancipemus. Altius emergamus. Coe-
 lestia spiremus. Immortalia sitiamus. Aeternitatem
 anhelemus.


Hic labor, hoc opus est, superas evadere ad auras.


Tu vero, Defuncti Nostri anima, beata jam atque invi-
 denda; tu, quae soluta curis, levata molestiis, victrix
 calamitatum, victrix aerumnarum, victrix omnium, qui-
 bus preminur, et quae graviora adhuc imminent, malorum,
 revolasti ad tuam, unde demissa et delibata eras, sedem;
 nil metuens amplius, quibus miserrimi mortalium angimur,
 dubiarum rerum vicissitudines, nil classica, lituos, gla-
 diorum grassationes, tormentorum horrendos fragores; nil
 bella ab exteris, nil longe funestiora intra parietes duella,
 nil dirum istud partium furorem, longius latiusque ser-


pentem, exacerbatiſſimam, indies recrudescentem, quo vel ve-
 tuſtiſſimae amicitiae ſolvuntur, vel dulciſſimarum neces-
 ſitudinum ſacra vincula rumpuntur; anima tot tantarum-
 que miſeriarum ſecura, terque quaterque beanda.... Salve,
 ſancta anima,

Salve, Have, atque in aeternum Vale!









the scale towards document

atis, exilii, dolorum, fidicularum, tormen-
 s ipsius. Summum Bonum, quod Epicuro
 e animi positum visum est; Cynicis in liber-
 cis in perfectione; Peripateticis in investiga-
 ois unica erat Virtus, Virtus inquam, quae
 tiorem nec augustiorem se comprobet, quam
 spernat prae numquam perituris; terrestria
 m caelestibus; vitam projiciat, mortem
 Talem edoctus doctrinam Seneca in pul-
 m de vitae brevitate concripsit, libro, dixit:
 vita descendum est, et quod magis fortasso
 a vita descendum est mori.“ Et ad Lucilium,
 aecularis exornat praeceptis: „Egregia res
 ediscere, meditari mortem; qui hoc dicit,
 atem jubet.“ Nec alias sentit, quem abjectis-
 io minime depressit, Epictetus. Nec secus,
 m, quod exercuit, orbis terrarum, justo
 evexit, Marcus Aurelius. Nec omnis illa
 lorum *ἀρετής*, quam Neoplatonicorum titulo
 l morati, quod, Platonis genuinae doctrinae
 sius placita cum Zenonis, utriusque cum Peri-
 acitis conglutinent atque confundant.
 imvero, qualis, Auditores desideratissimi,
 holarum placita celebrant, vobis esse vide-
 meditatio? Num nuda quaedam contempla-
 B